Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 703

Quelle:
Copyright:

lorum *Admonitio col.* 33. Adi etiam *Cod.* CCXXXVIII.

III. *fol.* 44. p. 2. praemiſſis trium ſequentium *Auguſtino* perperam tributorum Libellorum Summariis *Incipiunt queſtiones LXV. Oroſii Et totidem reſponſiones. S. auguſtini.* Initium: *Licet multi et probatiſſimi uiri diuerſo quidem ſtilo* &c. Finis: *qui preeſſe deſiderat non prodeſſe.* Exemplar incorrectius editis T. VI. *Append. col.* 7.

IV. *fol.* 58. p. 2. *Incipit liber queſtionum ſancti Auguſtini epiſcopi.* Scilicet *ex Vetere et Nouo Teſtamento*, ut in Summariis mox *cit.* dicitur. Primae quidem omiſſa Quaeſtione: *Quid eſt Deus?* incipiunt: *Deus eſt, quod nulla attingit opinio* &c. et finiunt: *iam non ſerui ſed filii dei.* Secundae: *Deus certe perfectio eſt. et nullius egens* &c. Finiunt: *ut ad fructum paſce peruenire mereamur. Per chriſtum dominum noſtrum. Cui honor eſt et gloria in ſecula ſeculorum. Amen.* Extant hae *Quaeſtiones* T. III. Opp. *Append. col.* 33. ab *Auguſtino* abjudicatae, ſed multum abeunt a noſtro *Codice*, ſive numerum earum, ſive ordinem ſpectes. Deficiunt in eo quaedam, quae in Impreſſis leguntur, et vice verſa. Quaedam praeterea, quae in Impreſſis inter *Quaeſtiones ex Utroque* Teſtamento *mixtim* a *col.* 89. leguntur, in Exemplo noſtro inter *Quaeſtiones N. T.* adſcitae ſunt; ut nihil de lectionis varietate dicam. Clauſula miniata ſequens eſt: *Explicit liber queſtionum XCIIII. S. Auguſtini.* Et mox

V. *fol.* 99 *Incipit liber eiusdem de queſtionibus XXI.* Praemiſſo Elencho Quaeſtio prima eſt: *Quid ſit quod maledictus dicatur, qui non reliquerit ſemen in iſrael.* Hic porro occurrunt *Quaeſtiones*, quae ſuperius vel in *Impreſſis* vel in *Codice* deerant. Ultima eſt: *De Libro Geneſis*, quae incipit: *In principio fecit deus* &c. *Si celum in principio fecit* &c. Et finit: *ſecundum ea que ſupra oſtendimus.* Cum Editores *Mauriani* duplex genus *Codicum Mſs.* has *Quaeſtiones* continentium diſtinxerint, *Noſter* ad *primum* magis quam ad *ſecundum* genus pertinet.

VI. *fol.* 126. *Incipit liber de miſſarum myſteriis. Editus a lothario ſancte romane eccleſie Dyacono Cardinali.* E Comitibus *Signienſibus* ortus hic *Lotharius* patria *Anagninus* deinceps ad Papatum evectus nomine *Innocentii* III. obiit a. 1216. Scriptorum ejus pars maxima prodiit *Coloniae* 1552. f. Accrevere alia ſucceſſu temporis, quae enumerat *Hambergerus* in *Zuverläſſ. Nachricht.* P. IV. p. 343. Primus inter ipſa typographiae rudimenta lucem vidit Liber ejus *de Miſeria humanae Conditionis*, de quo egi in *Memorab. Bibl. Garell.* p. 191. Secutum eſt Opus noſtrum editore *Joh. Cochleo Lipſiae* apud *Nic. Fabrum* 1534. 4. in *ſex Libros* diviſum, qui in *Cod.* praeſenti *Particulae* vocantur. Prologi initium